

## DE VARIOLIS

tur, magis ardentibus sunt, & in progressu interdum typhum tertianæ acquirunt.

22. Superueniunt quidem variolæ & morbilli plerumque febribus synochis impetuosis. Verum aliquando vnâ cum leui febre adueniunt, statimque erumpere incipiunt sine magna ebullitione aut febre. Et quia ebullitionem comitatur febris, quæ eò vehementior est, quò maior ebullitio. Deinde propter ebullitionem oriuntur variolæ & morbilli, ideò probabile non videtur, sine aut ante omnem febrem erumpere, licet interdum apparentibus nonnullis variolis aut morbillis febris ita augeatur, vt tum primum oriri aut consequi videatur, quod ex inæqualitate materiæ peccantis euenit & naturæ debilitate. Semper autem eò citius erumpunt & minori conatu ac cum leuiori febre, quò natura robustior fuerit, & materia peccans magis obediens, nimirum minus maligna, crassa aut copiosa, & cutis ad eam suscipiendam melius disposita, non dura & astricta.

Causæ remotæ.

23. Causæ remotæ, quæ ad ebullitionem istam humorum naturam stimulant, & impuritates commouent, vel internæ sunt, quæ corpora potissimum disponunt, vt constitutio corporis nimis calida humida, ætas puerilis, plenitudo, cacochymia, calidæ expirationis retentio ex constipatione aut obstructione: vel externæ sunt, quæ internas ad agendum propriè excitant, præcipuè aër vitiatu & praua alimenta. Item suppressio consuetarum euacuationum, timor, exercitia intempestiua &c.

24. Vbi autem morbus iste Epidemicus est, & variolæ aut morbilli contagio serpunt, causa erit ab aëre vitiatu. Nam calida humida aëris constitutio humores fundit & ad putredinem disponit: Proinde verno tempore, flante austro & in regionibus calidis humidis variolæ sæpius contingunt: Non raro